

De prærogatiua, & efficacia baptisimi. Cap. IIII.

DEinde considerandum est de prærogatiuis quæ habet sacramentum baptisimi. Vnde sciendum est quod baptisimus **1** habet multas prærogatiuas, ¶ videlicet quia potest suscipi sine aliis sacramentis, sed alia non sine ipso. c. si quis per ignorantiam. 1. q. 1. Hinc dicitur magis necessarius, c. præter hoc, dist. 32. Quare si contingat aliquem ordinari ante baptismum, nihil recipit. 1. q. 1. c. si qui confugerint. Item sine eo non potest aliquis contrahere cum Christiana, vel aliqua cõ Christiano, 28. q. 1. c. caue. Item sine eo non potest haberi salus, sed sine aliis potest, de consecr. dist. 4. c. firmissimè. Et non obstat tex. in c. baptisimi uicem, & c. catechuminum, ead. dist. quia intelligitur quod sine baptismo fluminis non potest haberi salus, quando potest haberi. Sed si haberi non potest, tunc alia baptismata sufficiunt ad salutem. Item sine inuocatione Trinitatis non est baptismus, de cõsecr. dist. 4. c. si re uera, & c. in synodo.

2 Item potest dari ¶ à quocunque, sed non alia, dist. 32. cap. præter hoc, per totum, nam non corpus Christi, 24. q. 1. cap. ult. & quæ sit ratio, notatur in glo. in d. c. vlt. vers. in baptismo. Quod intellige, quando timetur de periculo, puta, quia mors videtur propinqua, tunc enim talis puer potest à quocunque baptizari, etiam à laico, vel muliere, siue sint Catholici, & Fideles, siue Iudæi, Pagani, vel Infideles, & etiam excommunicati, suspensi, Hæretici, & Scismatici, dummodo, seruent formam debitam, quam seruat Ecclesia. Dicens: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen. & intendant illud facere quod intendit, seu facit Ecclesia: verum quando baptismus in prædicto casu necessitatis alicui confertur, hæc consideratio est adhibenda, vt si non adest presbyter, cuius proprium est munus baptizare, c. constat, de conse-

erat. dist. 4. fiat à digniori persona. (verbi gratia) Præteribus presbytero, & clerico, clericus non baptizabit, sed presbyter. Similiter laico, & muliere presentibus, solius laici erit baptizare. Et si clericus, & laicus sunt præsentés, imminente tali necessitate clericus baptizabit, & nõ laicus. In tali etiam necessitate fidelis præfertur infideli, aliter contrafaciens peccaret: & ratio istorum est: quia ille, qui baptizat, repræsentat personam Christi, quæ perfectius repræsentatur per fidelem, quam infidelem, per uirum, quam mulierem, per promotum, quam non promotum, per tonsuratum, quam non tonsuratum. Quod autem qualibet creatura rationalis in necessitate possit baptizare, patet per tex. in c. in necessitate, c. Romanus, c. sanctum, c. à quodam, cum similibus, de consecr. dist. 4. cap. ad limina. 30. q. 1. cap. super quibus 30. questio. 3. Imò etiam monachus potest baptizare, 16. questio. 1. c. doctos, licet non possit esse compater. 18. q. 2. c. peruenit, & ibi glo. Si vero nullum fuerit periculum, ut quia puer natus est uiuax, & bene dispositus, & tunc ad solum presbyterum ex officio spectat baptismus: quia per baptismum recipitur baptizatus in collegiū Ecclesiæ militantis: talis autem receptio pertinet ad habentem auctoritatem in collegio, vide Panorm. & Docto. in cap. 1. de baptis. Item alia prærogatiua est, quia est fundamentum, & ianua omnium ¶ Sacramentorum, de consecr. dist. 4. c. cum itaque, in c. ueniens, de cler. non bapt. 1. q. 1. cap. si quis confugerit. Item quia per ipsum originale, mortale, & ueniale remittitur, non sic per alia, c. regenerante, c. sine penitentia, c. ex quo, de consecr. dist. 4. c. maiores, de baptis. & ratio est: diuina liberalitas, quæ tantam huic Sacramento contulit efficaciam, quod quidem conueniens fuit: quia baptismus est ad regenerandum institutus, vnde ibi transit homo de potestate tenebrarum in adoptionem filiorum Dei, & hoc est quod dicitur Thim. 2. per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti,